



dummodo secretariae generali, manu, ante horam 18 illius diei eas traderent; subsignationem autem non esse necessariam.

Nomine consilii praesidentiae Patres rogavit ut in suffragiis exprimendis a plausu se abstererent.

Denique nuntiavit proxima hebdomada disceptationem inceptum iri a schemate *de sacra Liturgia*.

Card. Ottaviani notavit necessitatem subscribendi schedas eo vel magis quod ipsae poterant extra aulam confici.

Deinde lectae sunt moniti secretarii generalis translationes in linguas vernaculas hispanicam, gallicam, anglicam, germanicam, italicam.

Indicta tertia congregazione generali, habenda die 20 octobris, hora 9, plures Patres abierunt, reliqui vero in aula manserunt ut schedulas conficerent.

III

Congregatio generalis tertia habita est sabbato, die 20 octobris, hora 9 antemeridiana. Interfuerunt 2.340 Patres, nempe 77 cardinales, 7 patriarchae, 7 primates, 415 archiepiscopi, 1.727 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 84 superiores generales.

P. D. Martinus Jansen, ep. Roterodamensis, Missam lectam celebravit, qua absoluta, Concilii secretarius generalis, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit: *Exeant omnes*.

P. D. Philippus Nabaa, arch. Berytensis et Gibailensis Melchitarum, S. Evangelii codicem ad altare detulit et super paratum thronum statuit.

Coetui praefuit card. Achilles Liénart, ep. Insulensis, qui precem *Adsumus...* recitavit, omnibus Patribus stantibus.

Secretarius generalis ex ambone proclamavit nomen praesidis congregationis. Dein communicavit Summum Pontificem, audita relatione de suffragatione et scrutatione peractis pro eligendis sodalibus commissionum conciliarium, dispensare a praescripto art. 39 *Ordinis Concilii celebrandi*, atque, sanationes concedendo quatenus opus esset, electos habere primos sexdecim praesules qui in unaquaque commissione maiorem suffragiorum numerum retulerint. Huiusmodi nuntium diversis linguis lectus est: lingua hispanica a P. D. Morcillo, lingua gallica a P. D. Villot, lingua anglica a P. D. Krol, lingua germanica a P. D. Kempf, lingua arabica a P. D. Nabaa.

Deinde secretarius generalis electorum nomina publicavit pro commissionibus de doctrina fidei et morum, de episcopis et dioecesium regimine, de ecclesiis orientalibus, de disciplina cleri et populi christiani,



de missionibus, de fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis, de sacra liturgia. Pro hac commissione annuntiavit etiam nomina sodalium, qui a Summo Pontifice electi fuerant, ita ut commissio suos labores incipere posset.

Post breve intervallum idem secretarius generalis legit ex ambone *Nuntium* ad universos homines mittendum, cuius textus, typis impressus, Patribus distributus fuerat.

Huiusmodi moniti translationes in linguas hispanicam, gallicam, anglicam, germanicam, arabicam a subsecretariis lectae sunt.

Data est Patribus, ad cogitandum, meditandum, orandum, quarta horae pars.

Hora 10,55 *Nuntii* disceptatio initium sumpsit et locuti sunt: cardd. Franciscus Bacci, Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis et Gnesnensis, Ioseph Ferretto, tit. Sabinensis et Mandelensis, Amletus I. Ciconani, tit. Tusculanus; Petrus Fiordelli, ep. Pratensis, card. Paulus Léger, arch. Marianopolitanus, Carolus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus, Ioannes Heenan, arch. Liverpolitanus, Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus, Ioannes Peruzzo, ep. Agrigentinus, Victorius M. Costantini, ep. Suesanus, Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide, Marcellus Lefebvre, arch. tit. Synnadensis in Phrygia, Alfonsus Toriz Cobíán, ep. Queretarensis, Ioannes van Cauwelaert, ep. Inongoënsis, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum, Ioseph Alba Palacios, ep. Tehuantepecensis, Ioseph Malula, ep. tit. Attanasiensis, aux. Leopoldopolitanus, Henricus Hamvas, ep. Csanadiensis, Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis, Ioseph Maalouf, ep. Heliopolitanus Melchitarum, Emmanuel Pereira da Costa, ep. Campinensis Grandis, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania, Alfredus Ancel, ep. tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis, Villelmus Kupfer, ep. Taichungensis, Ioseph Carraro, ep. Veronensis, Iulius Kandela, arch. tit. Seleuciensis pierius, aux. Antiochenus Syrorum, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiensis, vicarius patr. Antiochenus Melchitarum, Aloisius La Ravoire Morrow, ep. Krishnagarensis, Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, Carolus Ferrari, ep. Monopolitanus, Paschalis Venezia, ep. Ariensis, Raphaël Rabban, ep. Cherchensis, Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Georgius Béjot, ep. tit. Cassandrensis, aux. Remensis, Emmanuel Trindade Salgueiro, ep. Eboresis, Romanus Arrieta, ep. Pluviensis.

Post disceptationem, de mandato praesidis, secretarius generalis petiit a Patribus utrum schema propositum, cum mutationibus indicatis, placeret necne.



Moniti translationibus in vernaculas linguas lectis a subsecretariis, rogati sunt Patres, ut illi, quibus *Nuntius* cum propositis mutationibus placeret, surgerent; illi autem, quibus non placeret, sedentes manerent. Deinde qui surrexerant, sederunt, qui vero sedentes manserant, surrexerunt. Ex 2.344 Patribus praesentibus tantum 72 *Nuntium* non probaverunt.

Ideo secretarius generalis de mandato praesidis communicavit *Nuntium* cum mutationibus probatum esse fere unanimiter a Patribus Concilii.

Tandem monuit disceptationem *de sacra Liturgia* inceptum iri in proxima congregatione generali, die 22 octobris.

Praeses prece *Agimus...* coetui finem imposuit hora 12,45.

IV

Congregatio generalis quarta habita est feria II, die 22 octobris, hora 9 antemeridiana. Interfuerunt 2.355 Patres, nempe 77 cardinales, 8 patriarchae, 8 primates, 418 archiepiscopi, 1.732 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 89 superiores generales.

Ante Missam secretarius generalis Patribus ex ambone significavit ab initio Concilii duos Patres iam supremum diem obiisse: P. D. Ioseph Burke, ep. Buffalensem, et P. D. Aemilium Facchini, ep. Alatreensem.

Card. Normannus Thomas Gilroy, arch. Sydneyensis, primi praesidis munere fungens, omnibus Patribus surgentibus, *De profundis...* recitavit.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est ritu latino a P. D. Laurentio Jäger, arch. Paderbornensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: ad offertorium *Beati eritis* (Croce); ad Sanctus *O salutaris hostia* (Bartolucci); ad Agnus Dei *Panis angelicus* (Bartolucci).

Missa celebrata, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes.*

Facta S. Evangelii inthronizatione a P. D. Casimiro Morcillo González, arch. Caesaraugustano, praeses precem *Adsumus...* recitavit, omnibus Patribus stantibus.

Postea secretarius generalis ex ambone annuntiavit in itinere versus Romam Concilii celebrandi causa, mortem obiisse P. D. Ioannem Hogan, ep. Bellaryensem, et communicavit exsequias P. D. Facchini celebratum iri die sequenti, in ecclesia S. Iacobi in Augusta, hora 8.

Deinde proclamavit nomina electorum pro commissionibus de sacramentorum disciplina, de religiosis, de seminariis, de studiis et de educatione catholica.